Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3221
Quelle:
Copyright:

tamen videndum esset an id indistincte veritatem habeat &c. Post tempora Concilii *Constantiensis* et *Basileensis* diseruisse eum, mentio utriusque Concilii probat.

II. *fol.* 28. sequitur alia Dissertatio, cujus Scopus: *quod papa presit toti militanti ecclesie simul accepte seu collectim et pariter sumpte.* Initium: *Pro iusticia agonisare pro anima tua* &c. *Quemadmodum 2° de officijs tulius loquitur. Omnia ficta celeriter tanquam flosculi decidunt* &c. Articulis XVI. negotium transigitur. Sub principium ignotus Autor alterius Opusculi sui meminit, quod incipit: *Confiteor tibi pater domine celi et terre* &c. in quo ostendisse se ait: *quomodo presidentia summi pontificis super totam ecclesiam simul sumptam generalium auctoritati conciliorum nullatenus deroget.*

III. *fol.* 38. Dissertatio de Autoritate Concilii Generalis et Rebus *Basileensibus*, quae VI. *Considerationibus* constat, et incipit: *Sancte ecclesie vniuersali deo militantique in presenti opusculo venit comparanda* &c. jamque *Cod.* praeced. recensa est.

IV. *fol.* 93. absque inscriptione *Homilia Job. Chrysostomi*, quae legitur in Edit. *Opp. lat. Paris.* 1687. T. V. p. 382. f. et incipit: *Multi quidem fluctus et unde immanes* &c.

V. *fol.* 94. *Incipit alia omelia beati Johannis Crisostomi.* Videlicet: *Hodie nobis facta est terra celum.* Edit. mox *cit.* T. III. p. 363. Ad calcem legitur: *Explicit — de aduentu spiritus sancti et est in ordine XVII. et bene facit pro auctoritate ecclesie.* En igitur, cur huc transscripta.

VI. *fol.* 95. p. 2. *De potestate ecclesie vniuersalis supra papam breuissima exhortatio facta per dominum ludowicum de roma protbonotarium in generali congregatione concilij basilien. Alphonsi Aragonii* Legatum ad Concilium una cum *Nicolao Siculo* agebat *Ludovicus* hic ICtus *Spoletanus* a diuturno domicilio dictus *Romanus*, defunctus *Basileae* in flore aetatis a. 1439. ut testatur Epitaphium relatum a *Panzirolo* de *clar. LL. Interpretib.* L. II. c. 94. et *Fichardo* in *Vitt. ICtor.* Adi, si lubet, de eo et *Aen. Silvii* de *Gest. Basil. Conc.* L. I. *Horat.* item *Mandosii* Elogium praefixum Editioni *Venetae Consiliorum Ludovici* 1581. f. et *Prosp. Mandosii Bibl. Rom.* T. I. p. 348. Exhortationis initium: *Omnipotentis Dei postulato suffragio. Beatissimus papa sixtus cum a quodam basso nomine criminaretur* &c. Meminit Scripti hujus cum variis aliis *Pontani Dom. Mansius* in suis ad *Fabricii Bibl. med. Lat.* additionibus L. XI. p. 290. sed ex alio *Codice* nostro, qui inter Autores *Juris Can.* servatur. Adtextae sunt *Auctoritates sacrorum Conciliorum et sanctorum Doctorum*, quibus ostenditur: *quod concilium generale in spiritu sancto legitime congregatum vniuersalem ecclesiam representans claues a christo ligandi et soluendi acceperit*, quas ab eodem *Pontano* lectas autumo.

VII.